



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regia Via Crvcis

Haeften, Benedictus van

Antverpiæ, 1635

Cap. II. Crvx emendat, & emundat à peccatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46093](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46093)

CAPVT II.

CRUX emendat, *et* emundat à peccatis.

Pius & misericors est Deus, & remittet in die tribulationis peccata.

Eccli. 2, 13.

Culpa anima vestem maculauit, lauit Iesus Sanguine, CRUX reliquum pulueris excutiet.



MENTALEM orationem summo manè Staurophila de more instituebat, atque hoc viatico quotidie munita in viam se dabat. Fuit cum pro argumento expenderet, quanta animarum dignitas, quanta gratiæ pulchritudo, quæ eas velut byssino candenti & splendido decentissime conuestiret. Deinde considerabat, quanta peccati deformitas, quæ totâ animæ vestem foetidissimo luto & stercore commacularet. Hæc dum in itinere, vt edocta erat, secum subinde ruminaret, alto suspirio ita ingemiscebat: Eheu! quis *emundabit conscientiam meam* Heb. 9, 14. *ab operibus mortuis? quis abluet à malitiâ cor meum? Utinam deleantur iniquitates meæ, & expurgentur omnia delicta mea!*

V

Cum

Cùm Christus ad interiores has voces respondens, Et hæc, inquit, Staurophila, virtus CRVCIS est, vt peccata delet, conscientiam emundet, stolam animæ abluat, & super niuem etiam dealbet. Agnoscebat hoc prudens illa Sara, quæ Domino dicebat: *In tempore tribulationis peccata dimittis his, qui inuocant te.* An non Ecclesiasticus ait: *Pius & misericors est Deus, & remittet in die tribulationis peccata?* Et: *In die tribulationis commemorabitur tui, & sicut in sereno glacies, soluentur peccata tua.* Atque hinc est quòd opera illa, quibus peccata expiantur, & pro iisdem satisfit, pœnalia dicantur, & verè etiam sint; vt sicut Cuspæ delectatio æternum Numen offēdit, ita voluntaria castigatio aut pœna patienter tolerata, Deum quoque placet ac mitiget.

Memini, inquiebat Staurophila, hanc doctrinam me alias quoque audiuisse: & magnâ sanè animi voluptate legi ab vniuersali Synodo definitum, *temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Iesum Christum satisfieri posse.* O quantum hoc beneficium! quanta affictorum consolatio! Hoc siquidem pacto qui ritè cum CRVCIBVS & tribulationibus suis negotiari nosset, non modicam reportaret lucrum. *Etsi enim acerba & gra-*

Concil.
Trident.
sess. 14. c. 9.
& can. 13.

uis est Dei ira; tamen cum medendi vim habeat, eos, qui ipsam experiuntur, ad bonum probebit. Ita est, inquit Christus, sed rari admodum sunt qui considerent quanti sit muneris molestia corporalis, quæ & admissa peccata diluit, & ea, quæ admitti poterant, compescit. Nam liuor vulneris, ut ait Sapiens, absterget mala: flagellorum dolor vel cogitatas, vel perpetratas nequitias diluit. Hinc viri sancti, quia corruptionis suæ vulnus non sine putredine esse considerant, libenter se sub manum Medici ad sectiones parant, ut aperto vulnere virus peccati exeat, quod sanâ cute intus occidebat. Peccatum enim sanies est; pœna, ferarum medicinale. Sicut igitur saniem habens, si non secatur, est in maioribus malis: ita peccans, si non puniatur, omnium miserrimus est. Hoc igitur erat, aiebat Staurophila, quod sibi volebat Ioannes Abbas, qui rogatus ut tertianâ laborantem curaret, respondit ei: *Rem tibi necessariam cupis abijcere. Ut enim corpora nitro, vel alijs huiusmodi lenimentis abluuntur à sordibus, ita animæ languoribus, alijsq; huiusmodi castigationibus purificantur.*

Sed, obsecro Domine, quid illud est, quod animæ quædam etiam purgatissimæ vitæ grauius plerumque discrucientur, cum nefas videatur, ut illis noceat aduersitas, quibus nulla dominatur iniquitas? Respondebat

V 2

Chri-

Didym.
apud Da-
masc. l. 3.
Parallel.
c. 49.
Gregor.
Part. 3. Pa-
stor. Ad-
mon. 13.
Prou. 20,
30.
Gregor.
l. 7. Moral.
cap. 7.

Chrysoft.
Hom. 6. ad
Pop. Ant.

Ruffinus in
Vit. Pat.
lib. 2. c. 1.

Christus: Non legisti quid de Patre meo, cœlesti agricolâ, iam olim dixerim? *Omnes palmitem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.* Quid autem hæc purgatio, nisi tribulatio & CRUX? *Quod enim flagellum grano, quod lima ferro, quod fornax auro, hoc tribulatio homini iusto.* Purgatur hac, non destruitur: splendeat licet, & velut aurum rutillet, in fornace tamen tribulationis scoria eius excoquenda est. Nam & qui hominibus videntur perfecti, coram Deo suas etiam imperfectiones habent, à quibus eos, misericorditer sæuiens pius Pater, emundat, vindicans scilicet *in omnes adinventiones eorum.* Considera mihi hîc *artifices: illi enim pleraque faciunt & ostendunt imperitis: & cum iam iudicauerint imperiti esse perfecta, expoliunt illa artifices, qui nouerunt adhuc quid illis desit, ut mirentur homines tantam expolitionem rebus accessisse, quas iam perfectas pronuntiauerant.* Fit hoc & *in edificijs, & in picturis, & in vestibus, & propè in omni genere artium.* Primò iudicant illud iam quasi perfectum esse, ut oculi eorum amplius nihil desiderent. Sed aliud iudicat oculus imperitus, aliud iudicat artificis regula. Sic & viri sancti versantur ante oculos Dei, tamquam sine culpâ, tamquam perfecti, tamquam Angeli: nouit autem quid illis desit, qui vindicat in omnes

Ioan. 15, 2

Laurent.
Iust. Lign.
vit. de Pa-
tient. c. 3.

Psal. 98, 8.

August. in
Psalm. 98.

nes affectiones eorum. Vindicat autem non irascens, sed propitius: & ad hoc vindicat ut perficiat cœptum, non ut damnet eiectum. O quàm vtiliter, inquiebat Staurophila, hæsitavi, quando tam luculenter ignorantia mea instruitur! Verè enim nemo mundus à foribus. Dum enim per varias actiones vitæ humanæ sollicitudo distenditur, necesse est de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere. Et quis est, Domine, qui non aliquid iniquamenti hîc aut ibi contrahat? *Septies cadit iustus.* & vix etiam laudabili vitæ hominû, si absq; misericordiâ Redemptoris iudicetur!

Leo Ser. 4.
de Quadr.

Prou. 24,
16.

Benè igitur, aiebat Christus, flagello CRUCIS pulvis excutitur, quem ad deformationem animæ iniquitas assiduata congescit, ut exteriori vulnere sanetur plaga interior. Purgari ille non vult, qui Dei flagella non admittit. Tribulationis virga omnem terrenæ conuersionis puluerem excutit, ut animæ vestis purior nitidiorque euadat.

Blesens.
Epist. 31.

Mens etenim certa, & puri sibi conscia cordis,

Prosper
Epigr. 52.

Hoc plus splendet, quò magis atteritur.

O quàm præstans, aiebat Staurophila, hoc beneficium! Ecquis non ambiat feruentissimis votis, ut CRUCE aliquâ affligatur, ut ita animæ vestis expurgetur? Memini enim eiectum in tenebras exteriores, qui nuptiali carebat veste; & in cælestem illam Ierusalem;

Matth. 12,
11.

Apoc. 21,
27.

Hieron.

Epist. 33.

ad Castrut.

Ezech. 16,
42.

Petr. D^{ca}. n.

libr 8.

Epist. 6.

non intraturum aliquid coinquinatum. Ut non minimum, inquiebat Christus, hoc beneficium; ita magna ira est, quando peccantibus non irascitur Deus. unde & in Ezechiele ad Ierusalem, Iam, inquit, non irascar tibi, zelus meus recessit à te. Medicus si cessauerit curare, desperat. Laudanda proinde diuina dispensatio, quæ ad hoc suos temporaliter verberat, ut perpetuis eos flagellis abscondat: ad hoc premit, ut eleuet; ad hoc secatur, ut sanet; ad hoc deijcit, ut exaltet. Qui enim bona agit, & mala suscipit, quidquid ei iuste retributionis in terrâ subtrahitur, hoc illi in celo multiplicius cumulatur. Porro autem Medici corporum, quos desperant, ad percipienda passim quæ petierint alimenta relaxant: at quos erigendos esse conijciunt, cuncta eis noxiæ delectationis edulia minaciter interdiciunt: antidota insuper & amara propinant, ut per amaritudinis haustum, ad incolumitatis dulcedinem conualescant. Quid ergo mirum, si Medicus animarum, omnipotens Deus, & quos perpetuæ morti cernit obnoxios, viuere delectabiliter sinat; & quos ad vitam eligit, sub strictâ seueritatis suæ lege constringat? Nam & animalia, quæ in proximo mactanda disponimus, indulgentius victitare permittimus, & largiora illis alimenta prebemus: eorum verò penuriam & maciem paruipendimus, quæ ad usum seminis, & ad propa-

propagandam sobolem reseruamus. Vites quoque
 & fecunda arbores putationibus subiacent, ste-
 riles autem, & quae ignibus sunt tradenda, ra-
 mis euagantibus, quò liberius eò diffusius pa-
 tent. De tuis igitur pressuris atque molestijs
 gaude, & totis in Domino visceribus gratula-
 re. Quia quò magis affligeris, tantò magis
 animæ vestis expurgatur & expolitur.

Attollebat hinc vocem Staurophila: *O al-* Rom. II,
titudo diuitiarum sapientiae & scientiae Dei! 33.
quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, &
inuestigabiles viae eius! Quis enim non pu-
taret misericorditer agi cum peccatoribus,
cùm eis parcitur, cùm nullà poenâ affligun-
tur? At verò magna misericordiae iam est, ne- August.
quitiae impunitatem non relinquere, ne cogatur Serm. 37.
Deus in extremo gehennâ damnare. O quanta de Verbis
poena, nulla poena! Hoc nimirum est, inque- Domini.
bat Christus, quod in Psalmis legisti: Non Psalm. 80,
audiuit populus meus vocem meam, Israël non 12.
intendit mihi. Sed quid inde secutum? dimisi
eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in
adinventionibus suis. Hoc & illud, quod per
alium Prophetam dictum est: Misereamur Isai. 26, 10.
impio, & non discet iustitiam. Quid enim est
hoc, nisi, Si impiis miserearis & parcas, mane-
bunt in suâ impietate, nec conuertentur ad
iustitiam. Subiecit rursus Staurophila: Mi- Bernard.
sericordiam hanc ego nolo, Domine, super om- Serm. 42.
nem in Cant.

- nem iram miseratio ista, sepiens mihi vias iustitiae. Satius profectò mihi iuxta Propheta
 Psal. 2, 12. *consilium apprehendere disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & peream de viâ iustâ. Volo irascaris mihi Pater misericordiarum, sed illâ irâ, quâ corrigis deuium, non quâ extrudis de viâ: illud mihi tua benigna animaduersio parit, hoc formidolosa nutrit dissimulatio.*
- Hab. 3, 2. *Cùm enim sentio te iratum, tunc maximè confido propitium: etenim cùm iratus fueris, misericordiae recordaberis. Dicam igitur cum*
- Iob. 6, 10. *S. Iob, Hec mihi sit consolatio, vt affligens me dolore non parcas. Domine hîc vre, hîc seca, vt in æternum parcas.*
- August.

